



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Vita P. Iacobi Laynis Secundi Societatis Iesv Generalis
Alphonsi item Salmeronis Vnius in primis decem Socijs**

**Ribadeneyra, Pedro de
Coloniae Agrippinae, 1604**

Liber Primvs.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11740

DE VITA
IACOBI
LAYNIS

Societatis IESV Præpositi
Generalis ab Ignatio
Secundi,

LIBER PRIMVS.

ANDREA SCHOTTO Societa-
tis eiusdem interprete.

*De natalibus, primisq; adolescentiæ
studijs.*

CAPVT I.



IACOBI LAYNIS,
Societatis IESV Præ-
positi Generalis ab Ig-
natio Loiola secundi,
vitam scribere iussus,
à natalibus exordiar. Natus Almaza-
ni, agri Segontini oppido, regni Ca-
stellæ non incelebri: anno à Chri-
sto nato M. DC. XII. parentibus

A

ho-

DE VITA

honestis, reque bene lauta, Ioanne Layne, & Isabella Gomezia Legionensi. Horum eximiam in Deum pietatem Petrus Faber vnus in primis decem Ignatij socijs, cum primo ex Hispania anno 1542. reuertit, literis ad Laynem, prædicat, gratulaturq; tales illum parentes nactum, quos sibi in pietatis studio, animorumq; salute paranda, dicto audientes comperisset Mater recens à partu Segontiam versus animi gratia profecta, torrentem, qui imbribus nimium quantum creuerat, ipsa traiecit: iumentum verò, quo nutrix infantem gestans vehebatur, lapsu concidit: infans secundo flumine ferebatur. Auunculus itineris comes, equo calcariibus adacto, falcijs puerum natantem, vndis Moyfis exemplo extractum, matri penè exanimata restituit: cui non minus iucundum accidit, conseruatum, quam natum filium: quod salutis certa læticia sit; nascendi incerta conditio. Maiore itaque studio ad virtutem informandum parens curauit. Ut primum è pueris.

Exod 2.

pueris excessit, ijs litteris tinctus, quibus ætas puerilis ad humanitatē informari solet, Segontia & Soria, quod in ipsis ferè Numantia ruinis situm oppidum, missus dehinc à parentibus Complutum est, Gymnasiū optimis Philosophis semper abundans. Hic cito antecellere ceteris ingenij gloria contigit. erat autem in adolescente præter docilitatem ingenij, summa etiam oris, morumque suauitas, vt non solum celeriter acciperet, quæ tradebantur, sed etiam ab æqualibus quamuis superior amaretur. Decurso iam Philosophiæ spatio, laurea que insigniri de more cum vellet, nihil egit, dixitve superbius, neque candidatus suffragia, vt fit, studiosè confectando captabat, vt primum locum, vigilijs suis debitū, (qui summæ illic laudi ducitur) obtineret. Illud tantum: arbitros modeste rogare, ex equo, & bono, nullo amore, aut odio adducti rem disceptent. Modestiq; & illud argumentum; cum infrequenti tum Academię cōuentu, Latine perorandum esset; ac-

A 2

cessit.

accessissetque, qui iuuare in partem
 & vellet & posset, abnuuit: *Nolo*, in-
 quit, *alienis me plumis cornicula in*
morem venditare, conditione igitur tua
non utar, ne alieno labore disertus vide-
ar, fucumque faciam. In egenos iam tu
 adeo beneficus extitit, ut plus ino-
 piae aliorum subleuandae, quam vi-
 ctui quotidiano, expensum tulisse,
 rationibus subductis, compertum
 fit. Compluto Lutetiam Parisiorum,
 quae tum Academia liberalissimis
 studijs, eruditissimisque hominibus
 affluebat, cum discendi gratia, tum
 Ignatij videndi, cuius adhuc in Car-
 petanis fama vigeat, profectus, vr-
 bemque copiosam, & celebrem in-
 gressus, illum ipsum, non dubia Dei
 voluntate obuiam habuit, cuius co-
 silijs studia, remque familiarem mo-
 derabatur. Vsu vero & familiaritate
 adeo sibi illum Ignatius obstrinxit,
 ut pijs exercitationibus informan-
 dum se Iacobus, ut erat ad pietatem
 propensus, libens eidem tradiderit:

quo de vitae studiorumque optimo
genere

IAC. LATINI, LIB. I.

genere deligendo, & salute quærenda maturè constitueret. Triduum in hoc secessu cibis abstinuit: quindecim verò diebus pane, & aqua sine condimento contentus, in cœlestium rerum meditatione acquieuit. Oratione adhæc, lachrymis, cilicio, atque flagellis vsus, Deum venerans precabatur, uti, quæ diceret, ageretque, ad suam plurimorumque salutem vellet pertinere. Secundus itaque à Fabro Ignatij se societati addixit. Peripateticæ Philosophiæ studijs, hortante illo, ex Aristotelis fontibus reuocatis, ad diuinam disciplinarum reginam, animum appulit. Hic assiduè disputando, ut erat ingenio acer, memoriaque singulari, facile tum ostendit, fore ut magno Ecclesiæ vsui & ornamento esset.

In Italiam profectus, quæ gesserit.

CAPVT II.

EVocatur Ignatius Socios Lutetia Venetias anno 1536. ut religione obstricti in Palaestinam, ad CHRISTI vestigia Hierosolymis

mis

mis lustranda, traicerent. L A T I
 N E S, studijs iam pietateque ani-
 mum abundè excoluerat, imbecilla
 quamuis valetudine vteretur, alacer
 tamen in viam se dedit. Ceteris ani-
 mum addidit, et si fluium transmi-
 tere oporteret, pufillo licet corpor-
 re, vadis prius tentatis, Socios hu-
 meris gestare. Cilicio ipse indutus,
 scriptisque libellis onustus, inops
 à pecunia, & vestibus, per Galliam
 pedibus, Germaniamque, per niues
 item, & imbres iter facere. In No-
 socomio Veneto, fessus de via con-
 quieuit: agrotos colloquijs consola-
 tus, & obsequio iuuans. Insequentis
 anno quadragenarijs ieiunijs Ro-
 mam perguit; vt Pontifice benedicen-
 te felix iter Hierosolymitanum,
 faustumque esset: ieiunijs pedestri-
 que itinere fractus, tantisque cæli
 pluuijs, vt genu tenus sæpè aquis in-
 ambularet: emendicato etiam tenui
 pane victitabat: in Xenodochijs im-
 mundiore lectos summa animi læ-
 titia sibi ambiebat. Ad urbem ven-
 tum cum esset, nudis pedibus ingre-
 di

diplacuit. Mox Paulo III. Pontifice audiente de rebus Theologicis acutè differuit, nodosque dissoluit. Miratus Pontifex hominis acumen, bene, Hierosolymam profecturo, precatur. Venetias itaque reuertit, festoque Ioannis Baptistæ die sacris antea initiatus, primum rem diuinam fecit. Hinc Vicentiam (oppidum id ditionis Venetæ mediterraneum) accessit. Tugurium extra oppidum, portis fenestrisque carens, quadraginta dies cum Ignatio, & Fabro habuit. Humi cubabant, fame pene enecti: nec enim panis satis eleemosynæ alendis tribus suppeditabat. Ex incommodis in morbum incidit. LAYNES à quo mox recreatus, in foro Vicentino Latinè, (nondum enim Italicè poterat) cõcionabatur: post ostiatim stipem quærebat, nec impetrabat. Miranti in oppido non infrequenti & pio, panem illi defuisse, qui concionaretur, boui enim trituranti os obturandum non esse: respondit LAYNES: *Sic placitum Deo: suos interdum, ut*

DE VITA

constantiam probet, affligi sinit. Interea Hierosolymitana profectio, exortio iam bello Turcico impediabatur: Romam itaq; cum iisdem Socijs reuertit, & Pontificis iussu de superiore loco, in Gymnasio, quod Sapien-
tiæ, hodieque appellant, Scholasticæ Theologiæ, doctoris personam sumpsit, & acute de abditis difficillimisq; controuersijs disseruit: in Saluatoris item æde sacra frequenter concionatus. Anno, qui insecutus est 1538. quadraginta iterum dierum ieiunio Romæ Socij de constituenda, confirmandaque Societate conuentum agebant. Hic ceteris vnus præstitit, plusque re, atq; consilio, magno Societatis cōmodo, iuuit LAYNES
Dimisso coetu, eiusdem Pontificis auctoritate Cardinali S. Angeli Parmam, Placentiamque cum imperio proficiscenti, quæ tum vrbes sedis erant Apostolicæ, LAYNES, & Faber, insequenti anno comites dati. & hic cum inopia luctatur: nudus egēsque medijs hyemis frigoribus agebat: vestem qua regitur recusauit:
iusta

iussu tãdem Ignatij in eleemosynam accepit. Mouit ea inopia permultos, ad pietatẽq; incitauit: vt enim sordibus & auaritia nihil ingratius; sic nihil cõtra amabilius est eorũ hominũ exemplis, qui bonorum, honorumq; despicientia excellũt. Catechismum pueros per compita, & rudes docebat: concionabatur assidue. Ignatij exercitationibus centum amplius informauit: instauratus iam tum, qui in desuetudinem abierat, frequens sacramentorum vsus, Pœnitentiæ, & Eucharistiæ. Hic mos quia insolens ea ætate, sed nascentis Ecclesiæ proprius fuit, sermonem multis dedit secius de illo, & sentiendi, & loquendi: verum effectus, mutata plurimorum in melius vita, eorum qui contra sentirent, sententiam facile refellebat. Sacerdotum quoque, & Parochorum mores LAYNIS opera exculti, vt coelo delapsum hominẽ, qui nouam reip. formam induxisset, Parmenses Iati, & Placentini (vtròbique enim par fructus exitit) iactarent. Complures exemplo incitati, Societati se

B sponte

sponte adiunxerunt: In his Hieronymus Domenechus, Valentinus, patrie Canonicus, ubi & Collegium Societati constituit. Is Roma Lutetiam versus Parma iter faciens, in LAYNEM, Fabrumque inciderat, pijsque exercitationibus hanc illi mentem Deus dederat, ut in Societate summa vite innocentia ad extremum usque spiritum ageret. Adscriptos & hos ex Annalibus comperi: Paulum Achillem, Elpidium Vguletum, Baptistam Violam, Martinum, & Ioannem Pezanos, Sylvestrum Lambinum, Ioannem Franciscum Placentinum; Franciscum & Benedictum Palmios fratres. Quorum hoc ad medicorum desperationem aegrotante, accersitus LAYNES sacris in conclavi eius operatus, bene de salute sperare iussit: saluum enim & incolumem ab eo morbo, Dei benignitate, breui, ut euenit, emersum. Mox valens, confirmatusque Societati post volens se addixit.

Roma, Venetijs, finitimisque, in locis quae gesserit. CAP. III.

His pie occupato LAYNE, ceterisq; socijs, Romã odor bonus peruenit: eoq; libentius Paulus III. Pont. Societatis institutum confirmavit: actumq; de Preposito deligendo, qui cõmuni rei præfectus ius diceret; ceteri dicto audiẽtes parerẽt. Hanc enim optimam semper administrandi formam visam. Accitis itaque Romam Socijs anno 1541. LAYNES venit, primusq; hic sociorum conuentus fuit. Consentiẽtib; in Ignatium vniuersis, ille defugere, onusq; detrectare. LAYNES summo impetu indignabũdus rogare, vrgere, impellere. *Ecquid dubitas Ignati? vel onus à Deo impositum libens suscipe; vel per me Societas recens in ita dissiliat.* Post tamen familiaribus retulit, etsi quod nollet, societas diuisa fuisset, sibi tamen fixum semper, statumq; in eo instituto manendi, fuisse. Frater ei Marci nomine fuit, præstanti adolescens corporis forma, piusq; & fratris iuxta ac suæ salutis perstudiosus. Inaudierat forte, quod res erat,

1541.

exorta in magno Ecclesię damno, Lu-
 theranam hæresim, & ab inferis de-
 prauatas opiniones existere, quibus
 multæ Germaniæ vrbes pessum irēt.
 Ratus itaque eo in numero Iacobum
 fratrem esse, quem nouum vitæ ge-
 nus inijsse acceperat, quotidie sacris
 astans, ea gratia fidei Symbolum,
 precesque recitare solitus, absenti
 salutem fratri precabatur. Neque
 hic pietas substitit: in viam confe-
 stim Romam versus se dedit, vt si o-
 pus foret, errantem ad meliorem
 mentem, qua minis, qua precibus,
 traduceret. Verum captum egressus,
 captus ipse est. Urbem enim ingres-
 sus, fratremque complexus, pietatis
 hunc fructum tulit, vt pijs à Iacobo
 exercitationibus eruditus Deo sese
 sponte sociorum in numero confe-
 crarit: moxque in nosocomio operã as-
 sidue dedit. Post non diu Quintili
 mense vertentis anni, morbo confi-
 ctatus, vita, immortalitatis spe ple-
 nus decessit. A funere statim LAY-
 NÆ simulacrũ illius oblatum: iubet
 paren-

parentes, de salute sua securos con-
 soletur. Secum enim agi præclare.
 Primus hic, ex quo Societas sedi A-
 postolicæ probata, fato functus est.
 Alios quoque Romæ Christo LAY-
 NES lucrificit: in his Ioannem Po-
 lancum Burgensem, iuuenem erudi-
 tum: excellenti item ingenio adole-
 scentem Andream Frusium Gallum.
 Hoc ipso tempore Margarita Austria
 Caroli Cæsaris filia, Octauij Farnesij
 Camerini primum, post Parmæ ac
 Placentiæ Ducis vxor, salutandi pa-
 rentis caula, Lucam Hetruriæ pro-
 fecta, LAYNEM, qui à concioni-
 bus & arcanis esset, adhibuit. Anno
 insequenti Venetias Pontificis iussu
 redijt, vt sacra quædam officia, flagi-
 tante Republ. florentissima procura-
 ret. Re è sentētia gesta, nihil eorum
 prætermisit LAYNES docendo, &
 concionando, quæ ad communem
 utilitatē pertinere existimaret. Hæ-
 retici iam tum Venetijs clam virus
 disseminabant, & conuenticula, vt
 solent, agebant. LAYNES nihil
 cunctandum ratus, fraudem detexit

in religione, senatui suavit, daret operam, ne quid Resp. detrimēti caperet. Integros ille confirmavit; delusos verò erudiendo in viam reuocauit. Ioannis Euangelium pro concione explanauit, versabatur assidue in Ioannis & Pauli Xenodochio: inde in ædes migrare coactus nobilis in ea Republ. viri, & pij Andreæ Lipomanni, Præfecti Ecclesiæ sanctę Trinitatis. LAYNIS vsu, pietate, & doctrina, incredibile est quo amore societatem sit complexus, vt & Patuij, præfecturam Ecclesiæ beatę Magdalenę, alendis socijs sponte attribuerit. Primum id in Italia Collegium Societas naçta; anno proximo ædificari cœptum, missusque eo ab Ignatio LAYNES. Hic Patuinam Academiam studijs, ingenijsque florentem, & concionibus illustrauit, & ad pietatem comparatis exemplis erudiuit. Hinc excursus Vicentiam, Veronam, & Brixiam: quò primus societatis nomen LAYNES intulit. (Brixie quidem alterius anni quadragenario ieiunio quotidie

tidie de verbo publice differuit. Proximo verò anno Basæ concionatus, qui vicus diei itinere Patauio, in Germaniam versus abest: cuius gentis commercio incolæ plerique corrupti, prauis sese, & à religione maiorum alienis opinionibus, errorumque laqueis, induerant. LAYNES, vigilantis in morem pastoris aduigilare, pios conseruare, falsos verò, atque deceptos ad sanam mentem reuocare. Qua re præclare gesta Romam iussus reuertit.

*A Pontifice in Tridentinam Synodum
Theologi titulo mittitur.*

CAP. IV.

HOc ipso tempore Oecumenica Tridentū indicta à Paulo Pont. Max. Synodus, quo sanctissimorum, doctissimorumque hominum flos, magno orbis terræ commodo conuenit, vt de fidei controuersijs cōstituerent, omnesque retrosectas, nouitiamque Lutheranam iugularent: mores denique corruptos ad integritatem reuocarent. Missus eodem à Paulo III.

B 4 Theo-

Theologorum in numero LAYNES est, quartum & trigessimum ætatis annum agens, & Alphonsus Salmeron, qui trigessimum vix excefferat. His socijs negotiũ profecturis, Ignatius Præpositus Generalis pro suo iure dederat, vt pauperibus, ægrotisque in nosocomio Tridenti operam prius nauarent, quam sententiam publicè rogati dicerent: rudes etiam, puerosq; Catechesi imbuerent. Viderat acute vir sanctissimus, hinc esse rei præclare gerendæ ducenda primordia. Gnauiter illi aliorum inopię subseruiunt, eleemosyna vndiq; corrogata, famam depellunt, frigusque, vt anni tempus erat à nudis defendunt. Episcopis item, quorũ magnus ibi numerus erat, re consilioque, & disputando præsto erant: vt de Societatis instituto, plerisque ignoto, melius iam tum sentire, & loqui inciperent. Quo factum est, vt in sua quisque Diœcesi socios optaret ministros, laborumq; consortes: quartus vix mēsis abierat disseminari iam secunda de societate existimatio in
omnes

omnes Europæ prouincias cœpit. Antonius enim Araozius, qui paucis socijs in Hispania præerat, Ignatio scripsit, plus emolumentum societatis nomini quatuor intra menses in Hispania duos illos Tridenti socios attulisse, quam annis aliquot alij potuissent. Sententiam verò de more rogati, in ijs, qui sub Paulo III. acti sunt, conuentibus, (de ceteris enim sub Iulio III. & Pio IV. Pontificibus Maxim. suo loco demonstrabo) ita inter socios conuenerat, ut licet natu minor Salmeron esset, prior tamen sententiam diceret, posterior LAYNES. Id, ut est, eo difficilium visum, quod ab alijs optima quæque iam occupata ac præcepta essent, nec iterare eadem pretium operæ videretur, nisi si in aliorum, qui antea dixissent, sententiam pedibus ire vellet: plerumque tamen ea in medium attulit LAYNES, quæ noua, & ad eum diem inaudita iudicarentur. Per magni sane illius iudicium factum, ut rationum momenta Patrum aliorum numerari, illius

B S verò

verò ponderari solerent: erat enim
in disputandò acer, in dicendo vehe-
mens, in iudicando verò subtilis, &
constans: quibus artibus fiebat, vt
audientium animos quo vellet rape-
ret, ac quamcunque in partem libe-
ret, facile traduceret, utilis adeo
hic illius opera exstitit, in colligen-
dis deprauatis hæreticorum, de Sa-
cramentis Ecclesiæ opinionibus; vt
cum Ignatius euocandum Tridento
ad res gerendas curasset, non impe-
trarit. Cardinalis enim sancti Cru-
cis, vnus è tribus Concilij Legatis,
qui postea Marcellus II. Pontifex
Maximus creatus est, litteris ad Ig-
natium datis, rogat humaniter, ne
à tam salubri opera L A Y N E M
auocet: publica enim commoda pri-
uatis anteponenda. Ea tempestate
Carolus Cæsar è Germania, deuictis
fidei maiorum hostibus, qui noua-
rum rerum, opinionumque studio
ducti arma contra tulerant, in Ita-
liam legiones remiserat: in his ple-
rique milites fame itinerumque in-
commodis pæne enecti, sociorum
opera

opera diligentiaque refecti in nosocomijs, ac recreati.

*Florentia, Perusia, Venetijs, &
in Sicilia gesta.*

CAP. V.

Concilium Tridenti primum
coactum pestilentis cœli metu
Bononiam translatum, septimo &
quadragesimo salutis anno supra mil-
lesimum, & quingentesimum: pro-
rogatum rursus in annos aliquot.
Interea Florentiam LAYNES Igna-
tiji iussu contendit, in sancti Pauli
Xenodochium, eleemosynis gratui-
tis, quæ afferrentur, & precario vi-
ctitans. Concionabatur in æde ma-
xima magnis æstiu temporis calori-
bus: octo item continuis diebus Io-
annis Baptistæ, reipublicę tutelaris,
tanto incolarum concursu, ijs etiam,
quibus res geruntur diebus, vt octe-
na millia conuenisse indies ferant.
Hic de regno Dei copiosè disseruit,
pomeridianis etiam scholis Cano-
nicam Ioanis Epistolam explanabat.

1547.

B 6 præ.

primum, quod alijs Ecclesiasticis
 dari solitum erat, oblatum constan-
 ter repudiauit: orans pauperibus di-
 stribuerent: gratis enim dare se, quæ
 gratis accepisset; aliorum tamen fa-
 ctum, qui mercedem caperent à se
 minime reprehendi. Perusiam inde
 discessit, & in nosocomium de more
 diuertit: hic de sermone Domini
 in monte habito, pro concione dis-
 seruit. Eugubium illinc accessit E-
 piscopus, idemque Cardinalis sancti
 Crucis Marcellus: utiliter sacra pro-
 curante, communemque rem consti-
 tuente **L A Y N E**: qui etiam velata-
 rum Virginum cœtum ad pristinam
 disciplinam reuocauit: inde Poli-
 tiano Monte, Florentiam remigra-
 uit, hinc Venetias rursus ab Ignatio
 anno 1548. reuerti iussus. Senatus
 enim Venetus annuos redditus Præ-
 fecturæ sanctæ Magdalenæ, (quam
 Pontifex supplice Andree Lipo-
 mani libello, alendis ibi socijs at-
 tribuerat) dare recusabat. Tandem
L A Y N I S prudentia, & Ignatij
 ad **D E Y M** precibus factum, vt con-
 cesserint

1548.

cesserint Veneti. Memoria teneo, cum
 Ribadeneira, qui è societate comes
 illi tunc Venetijs additus, ita narraret,
 auditum à se ex ore Vincentij Riccij,
 qui à secretis Reip erat. *Neq; sanguine,*
 inquit, *mibi iuncti estis, neque necessitu-*
dinis vinculo aut officio me deuinctum
vobis socij habetis: illud tantum: hanc
mibi mentem dari à Deo sentio, vt nihil
mibi antiquius sit, quam vt ceteris om-
nibus commodis negotium hoc vestrum,
vt iustissimum anteponam. His rebus
 ex sententia gestis LAYNEM Pontifex
 iterum in Siciliam, Montem re-
 gium, rogatu Farnesij Cardinalis, cu-
 ius in fide, tutelaq; oppidum illud e-
 rat, mittit. De via itaque Neapoli ad
 Petrum Toletanum, principesq; viros
 in templo verba faciens, ita commo-
 uit; vt de socijs eo euocandis, suaq; in
 vrbe alendis, consilium coeperint.
 Ignatius munus illi visitandi Sicilien-
 sem sociorum Prouinciam deman-
 darat. Obijt vero strenue. Messanæ
 enim institutum iam Collegium: an-
 no vero, qui insecutus est, etiam Pa-
 normi

normi

normi LAYNIS opera inchoatum; cuius doctrina cum pietate coniuncta vrbis vtriusque incolæ vehementer delectati. Inueterauerat pridem Moneregij odium, dissociatis Canonorum animis primariæ sedis, &, qui in eodem choro, rem diuinam faciunt Benedictinorum Sodalium. Tentatum à summis viris sæpe numero, Cardinalis etiam auctoritate interposita, de concordia inter sacros homines, positis odijs, reuocanda; sed frustra tentatum, neutris de iure suo concedentibus. Hic LAYNES, eã est, Deo bene iuuante, viam ingressus, vt odijs, secessionisq; causis inuestigatis, eas sustulerit, animosq; conciliarit, latis concordia legibus quas Farnesius in sacrario, spectantium oculis posteritatisq; memoriæ appendi, religioseq; seruari iussit. Cœnobium & hic sacratarum Deo Virginum, collapsa iam antiqua disciplina, rursus instaurauit, melius vt audire inciperent. Suadet enim vt in commune omnes sua conferrent, vt initio nascentis Ecclesiæ, & in religio.

ligiosorum hodie familijs solet, chororum simul frequentarent : silentium statis horis tenerent, claustrisque, ut antea, includerentur : denique ut sacramentorum usum, quod praesens est vitiorum remedium, repeterent. Obtinuit, licet aegre, quod ad eam diem nemo. Eam enim sanctitatis LAYNIS opinionem Virgines imhiberant, quod sacris operantis capiti columbam insidere visam, liquido pleræq; affirmarent : Spiritus diuini dona significari pie interpretata. Cardinalis quoque res, familiamq; modeste constituit, legesq; dictauit, quas & accurate seruari Princeps ille iussit : De pauperibus alendis in Sicilia aere suo, de virginibus in matrimonio collocandis, de pupillis educandis, deq; omni adeo Oppidi, & Cœnobij administratione egit.

In Africani belli expeditionem proficiscitur.

CAP. VI.

ANnus agebatur illius seculi 1550. Alii quinquagesimus, cum in Mauri-

Mauritaniæ eam oram, quæ Africa minor olim est habita, traiecit, suscepta iam à Cæsarianis expeditione in eius Prouinciæ urbem, quam Africam nonnulli appellant, Aphrodisij vero nomine, (Fani cognomentum Ptolemæus attribuit) vocat Christophorus Stella, qui Africanum illud bellum litteris mandauit. Mauris incolis Mahadian dictam hodie putant. Ceterum Dragutius, nobilis pirata, & prædo myoparonibus infestum mare habens, ex insidijs eam urbem ceperat, Ceco regulo armis pulso. Hinc regnorum Siciliæ, & Neapolis oram maritimam incursionibus vexare. Non tulit Carolus Cæsar, qui à prædonibus purgare mare, quod vt in medias infusum terras mediterraneum vulgo nominant, cupiebat: ratus loco illo, latrocinijs & excursionibus idoneo, pellendum Dragutium: classe itaque exercituq; comparato bellum adornat. Ei bello, qui terrestri itinere copijs præesset, dux creatus Ioannes Vega, qui Siciliam per id tempus cum Proregis imperio tenebat: classi vero

triremi-

eriremibus, socijsq; naualibus præfectus Andreas Auria est. Vega, qua erat pietate, existimans quod res erat, victoriam nõ tam armis, quam Dei ope parari, exercitumq; in officio continendum, ne quid in Deum committeret; LAYNEM deligit, qui & animorum, & ægrotorum curam gereret, & milites assidue hortando in officio contineret. Sic fore vt parentiores, & ad profligandos hostes aptiores milites haberet: nec fefellit opinio, vt euentus, victoriaq; ostendit. In Africam classe appulsa, exlensioneq; facta, timidis animos addens crucem dextra gestans LAYNES Deo fidere iubet. Christianæ ad hæc militiæ, & barbaræ discrimen ostendens, huiusmodi orationem habuit.

Meminisse, milites, vos decet, quantum nostra ab hostilibus, arma differant. Illi præda, inanisq; gloria studio, & ampliandi Imperij cupiditate dimicant, nos vero vnus Christi tantum amore, arma induimus, periculis caput obijcere parati, vitam etiam sanguinemq; profundere
pro aru

pro aris ac focis volumus: & quanquam viribus manuq; res magna geruntur: non his tamen, sed Dei vnus praesidio, à quo victoria dimanat, fidendum censeo. Pugnandum quidem, non inficior, & vero strenue: viuendum tamen in castris pie, ac Christianè. Nefas alioqui fuerit, armis hostem laceffere, peccatis vero cum Deo bellum gerere. Recte itaque factis, & pietate cum fortitudine coniuncta propitium Deum reddamus. Quare non tam præda vobis, spolia, & manubiæ, vt Barbaræ illa gentes solent, exoptanda; quam Dei gloria ante oculos ponenda: vt Reipub. pax, communisq; ciuium salus armis nostris quasita esse videatur.

His dictis in Nosocomio ægrotorum ministerio, quorum magna in diuturna obsidione vis erat, se comparauit. His cibum, potumq;e, pharmaca etiam manu porrigere: vngere ipse corpora, venam arteriamq;e tangere, & præcordia palpando tentare, confitentibus aures libenter dare,

dare, languentes consolari, animam agentibus præsto esse, terræ denique vita functos mandare; nulum ut pietatis officium, quo vocaretur prætermitteret. Cavit diligenter ne, ut in tam confusa hominum multitudine solet, mortuorum vestes, bonaque furto superstites auerterent. Ditiores quoque, qui in tentorijs, & sub pellibus ægri iacerent, non contempsit, si qui forte operam eius flagitarent: ut si corporum medicina parata esset, animo principi hominis parti remedium ne deesset. Centuriones, & Tribunos militares, qui arcana apud illum confitendo deponerent, concordi ut in castris animo agerent prouidit: Sublatis ea gratia (qua nulla maior in aulis pestis) delatorum, curiosorumque calumnijs. Urbem iam oppugnaturis, peccatorum veniam, iubilium hodie appellant, à Iulio III, Pont. Maxim. missum LAYNES in castris promulgat: quidque factum opus sit, ut rite ante actæ vitæ errata expien-

xpientur, denunciat, siue victoria
 parta, siue morte obita, si quid accide-
 ret humanitus, æterna illa beatitudi-
 ne potiri velint. Verbis itaq; animos
 timidis addere, languentes immorta-
 litatis spe excitare, omnes deniq; cõ-
 firmare. Mox re feliciter à Cæsaria-
 nis gesta, vrbs expugnata, Mauris ere-
 pta, in Christianorũ ius, ditionemq;
 concessit, ante diem I V. Id. Septem.
 1550. anni 1550. In qua quidem expeditione
 ad LAYNEM quod attinet, illud
 singulari Dei beneficio tribuendum;
 reliquis ad vnum omnibus, qui ægro-
 tis operam darent, in morbum lapsis,
 vnum illum cum socio sanum valen-
 temq; perpetuo ministrasse. Postridie
 vero Idus Septemb. qui dies S. Crucis
 exaltationi sacer est, Fanum vrbs,
 Mesquitam Mauri vocant, nostro ritu
 lustratum, & Ioanni Baptistæ conse-
 cratum; sacris operante LAYNE, & è
 suggestu concionãte; Victoriã is vt
 vni Deo, non viribus humanis acce-
 ptam referãt, hortatur. Militibus qui
 vrbs præsidio manebant, vt vitam
 Christiano milite dignam agant, ex-
 emploq;

emploq; suo Mauros ad Christi fidem
 pelliciant, suadet. Quibus rebus fa-
 ctum, vt omnibus carus acceptusque,
 tanquam cœlo delapsus videretur ob
 singulares animi dotes atq; virtutes:
 quas inter duæ potissimum, tanquam
 in illustri loco collocatæ, splendef-
 cere, & oculos præstinguere visæ. Al-
 tera in bonorum fortunæ despicien-
 tia, altera in animi celsitudine elu-
 xit: ea enim continentia in castris se-
 gessit, vt magnam sæpenumero vim
 pecuniæ oblatam ad victum, cultum-
 que corporis, constanter repudiarit:
 neque nosocomij sumptu, sed Præto-
 ris Ioannis Vegæ eleemosynis perpe-
 tuo victitarit. Postrema vrbis oppug-
 natione gregatim ad illum milites
 aduolant, condito in procinctu te-
 stamento, & allatis quæ in bonis ha-
 berent, apud illum deponunt. Siquid
 ipsis accideret, suo illis rebus arbitra-
 tu vtatur; vel quæ in scedula adscri-
 psissent seruari, rataq; haberi rogant.
 Miratus tantum sui apud illos fidem
 valere, magna pecuniæ vi credita,
 Deum supplex precatur, saluos, in-
 cola.

columnesque serualet milites Christianos, eos vero potissimum, qui fidem suam secuti omnia sibi credidissent. Voti mox compos LAYNES fuit. Parta enim victoria ancipiti Marte, & sanguine perfuso, nemo tamen eorum, qui fidem illi habuissent, vulnere accepto pugna excessit, nedum cæsus occubuit. Singulis itaque sua restituit, fidemque liberauit. Obseruatum à curiosis quantum eius preces apud Deum pro exercitus incolumitate valuerint: quanta eius fides abstinentiaque fuerit, qui nihil alienum appetisset. Et vero si verum fateri volumus, nihil æque in admirationem hominum religiosorum vulgus rapit, atque terrenarum rerum, quas omnes admirantur, despicientia. Nec vero minor hac continentia animi celsitudo fuit. Per tela enim, & ignes, glandesque machinis emissas intrepidus ibat, & securus: trepidantibus tamen fortibus etiam viris hostilibus sæpe armis patuit, illæsus tamen Dei præsidio euasit. Causam aliquando à socijs rogatus, respondit,

respondit, eam videri, quod animi gratia, aut spectandi cupiditate nunquam prodijisset, sed necessitate duntaxat, laborantibus ut opem ferret, periculis se obiecisset. Capta iam vrbe, praesidijsque firmata, cum Siciliam versus victrix classis trajiceret, adeo foeda exorta tempestas est, ut qui hostes barbaros, ac prope innumerabiles non formidassent, procellam tamen naufragiumque metuerent. LAYNES Prætoria triremi cum Ioanne Vega vectus, animo excelso addicendum, ut metum alijs eriperet, surrexit. *Ecquid milites timetis? an abbreviata est manus Domini, ut saluare nequeat? qui capillos capitis in numero habet: cuius sine prouidentia ne folia quidem arboribus decidunt. Paveant impij, qui vitam hanc mortalem nimis amantes, animas, vna cum corporibus extinguere, nihilque esse à morte reliquum putant. Nos vero à Deo Optimo Maxim. edocti, aeternae beatitudinis spe subnixi, & laborum*
requietens

*requietem expectantes, cur timeamus?
 quis scit, an purgare mari delicta nostra
 Deus cupit? Et forsitan insolentiores, non
 illi, uti debetur, victoriae gloriam tribui-
 mus Bene itaque sperare, constantiq; esse
 omnes animo iubeo. His auditis primæ
 vir nobilitatis, & Ioannis Vegae ex-
 ercitus Imperatoris agnatus. Recte,
 inquit, tu quidem Pater, & vere mones.
 Tibi quidem nefas est trepidare, quod
 ita vixeris, ut recti conscientia & bea-
 titudinis spe mortem minime formidan-
 dam sentias: nos vero qui omnibus flagi-
 tijs cooperti, in multis deliquimus om-
 nes, & inferorum pœnas metuimus, hac
 orta tempestate in ipsis pœne Orci fauci-
 bus non trepidemus? Dei mox benigni-
 tate in malaciam tempestas vertit,
 mareque tranquillum nauigantibus
 fuit, & Drepanum Siciliae promun-
 torium classis tenuit, & in terram de-
 silientes milites eam deLAYNE exi-
 stimationem induerant, ut nō defue-
 rint qui tunicæ laciniam, tanquam
 hominis vere pij, resectam, seruarint*

In Tri-

In Tridentinam synodum Iulij III. auctoritate reuertit.

CAP. VII.

ROMAM LAYNES ab Africana expeditione iussu Ignatij redijt. Is omnes, quibus commodum esset, socios conciuerat, quod se præfectura abdicare, alteriq; imperio cedere vellet: sed magno rursus LAYNES impetu, viq; dicendi impediuit, suavitq; societatis administrandæ prouinciam, difficilē quidem illam, sed publicè profuturam, vt auctor, & princeps, ne detrectaret. Multa in hoc conuentu eius consilio, magno sociorum fructu, constituta. Et hæc quidem priuatim gesta; publice vero Romæ concionatus frequenter. Post Pisas discessit, euocatus à nobilissima matrona Leonora Toletana, Etruriæ Ducis coniuge: quæ ibi tum, vt socijs domum exædificaret, versabatur. Cœnobia & hic virginum sacrarum obiuit, correxitque disciplinam. Principum sibi viorum

C rum

rum animos adiunxit : complures etiam societati transcripsit. Pauperes corrogatis eleemosynis fouit, vt & suum defraudans genium de suo demenso, quod Leonora quotidiano victui attribuerat, comparferit, egenisq̄ue donarit. Pisis Romam reuertit Iulio III. Pontif. iubente, qui sacrosanctum Tridentinum Concilium, annos aliquot bellorum civilium tumultibus, & Pontificis Pauli obitu intermissum, instaurandum iuuandæ laborantis Ecclesiæ studium curarat. LAYNEM itaque & Salmeronem Theologos eodem legatum. Hic ne qua de sententiæ dicendæ ordine, vt solet, contentio nasceretur, decretum est à Legato Pontificijs, qui ad concordiam Ecclesiæ sarcendam, priuatim etiam curas omnes, cogitationeîq̄ue conuerterant, vt pro Principum, & sententias ordine dicerent. Pontifex itaque maximus, qui Ecclesiæ, Conciliorumq̄ue caput esset, habitatione primum socij duo & in

LAYN

LAYNES sententiam dixerunt. Quod eo difficilius fuit, quo grauius est alijs verbo præire, quæ vel sequantur, vel repudient: eam tamen eloquentiam, dicendique vim LAYNES attulit; ut ab illius omnes ore Patres pendere viderentur, in illiusque sententiam, ob singularem coniunctam cum pietate doctrinam, concederent non inuiti. In qua quidem re illud ad æternitatem memorandum, quod ex illius ore auditum ferunt. Præfatus enim quæ de maiorum religione, Fideique controversijs in sacro illo conuentu agitanda essent; non humano ea iudicio dixit, sed DEI Spiritu, qui Concilij adesse soleret, metienda videri. Sententias quoque Pontificum, Conciliorum, Patrum, Doctorumque Ecclesiæ Catholicæ auctoritate excutiendas. Tabulis itaque obsignatis, testibusque omni exceptione maioribus in rem præsentem veniendum. Ad se quod attinet, daturum operam, ne quem sacris scriptoribus laudaret, testemque

testemque aduocaret, quem non à
 capite ad calcem diligenter, & at-
 tente legisset: plerosque etiam euol-
 uendo descripsisset: loca inter se
 pugnantia, veritatis inuestiganda,
 accuratè, partim contulisset, partim
 conciliaffet. Vno itaque spiritu,
 sex interdum, & triginta Patrum
 testimonia memoriter reddidit: in
 his etiam Alphonsi Tostati Abulen-
 sium Episcopi; cuius tot hodie scri-
 pta in sacros libros reperiuntur, ut
 ijs legendis, quod de Marco Var-
 rone togatorum doctissimo, Augu-
 stinus prædicat, ætas hominis, ta-
 met si longæui, vix suffectura vide-
 tur: ne dum, quod à LA YNE præ-
 stitum accepimus, ut in breuius ve-
 lumen euoluendo transcribi queat.
 Qua quidem rerum, verborumque
 copia in amplissimo illo vniuer-
 sitalis, optimorumque ingeniorum
 Theatro auditus LA YNES, tres se-
 pe horas dicendo exemit, summi
 eorum, qui aderant & voluptate,
 vtilitate. Cumque ob ingenij acumen
 & tractandæ rei, qua de agere
 per-

perspicuitatem, primum quidē Pontificis legati audire illum vellent, eo ipso tempore quartana febris tentari cœpit: iusserunt itaque; ne qua controuersia inchoaretur nouercali LAYNIS die. Illud certe constat, egregiam vtrunque in sacra synodo legatis, atque Episcopis operam nauasse in rebus, quæ ad Catholicæ Ecclesiæ vtilitatem pertinerent, decernendis: societatis ad hæc institutum, ad eam diem ignotum illustrarunt, & toto terrarum orbe disseminarunt; gratumque Romanis Pontificibus redderunt: qui socios exinde fouerunt, prouexeruntque in maius. Et vero diuina prouidentia factum, trium Concilij sub Paulo III. Legatorum, duos iam tum ordine ad Pontificatum euectos fuisse Iulium III. & Marcellum II. Quorum hic quidem breuis æui fuit, (vix enim viginti diebus clauum Ecclesiæ tenuit) optimè tamen in societatem nostram animatus; ille vero summa, dum vixit, beneficentia comple-

xus eã est, prolixeq; ornauit, pridem in synodo vtriusq; socij labore perspecto. Hi, & reliquorum Ecclesiæ Antistitũ, principumq; in Rep. virorum, hominumq; literis, ac pietate illustrium, ijsdem sibi artibus voluntates adiunxerunt: vt quasi Tridenti fundamenta iacta primũ esse videantur Collegiorum societatis: in Hispania quidem, Illiberitani, seu Granatensis, Placētini, & Murgitani; in Gallia vero Parisiensis, Billomensis, & Mauriacensis. Nec in postrema laudis parte ponendum, quod LAYNES Martino Olauio Theologo insignitum familiarissime vsus fuit, qui a suo sententiã dicentis ore penderet. Nec diu post societati adscribi postulat. Rem, vt gesta est, quando huc pertinet, ordine exponam.

*Martinus Olauus societati se ad-
dicit.*

CAP. VIII.

CAntaber hic genere fuit, Domo Victoria: quod oppidum Olaua pro

prouinciæ caput est : nobilibus , &
 magna cum re parētibus natus. Ado-
 lescens Complutum Carpetanorum
 ingenij excolendi gratia missus, Phi-
 losophiæ ita se tradidit, vt æquales ce-
 riter superarit. Primus hic mortaliū
 Ignatio Loyolæ, academiam ingresso
 occurrit, stipemque eleemosynæ pe-
 tenti dedit. Cuius beneficentiæ post
 eum fructum tulit, vt Ignatij ad Deum
 precibus societati tandem se conse-
 crarit. Hinc Lutetiam tanquā ad
 mercatum disciplinarum profectus,
 laudandarnm artium docendi mu-
 nus sustinuit : mox ad diuinam Phi-
 losophiam scientiarum reginam se
 contulit. Quo in studio quantum
 excelleret, exitus declarauit, lau-
 ream enim decurso spatio, titulosq;
 suscepturus, in primis numeratus est:
 quæ laus summa semper illic est ha-
 bita. Festinus natura, & urbanus,
 lepore & salibus alios oblectare
 solitus, Ignatium, & socios fugie-
 bat, quod anxios plus æquo cre-
 deret, & religione scrupulisque ani-
 mum torquere putaret. Lutetia in

Cæsaris regiam Pintiam redijt: cui à
 sacris fuit sacerdos : ob gentilitia
 ornamenta, & doctrinam gratus ac-
 ceptusq̃ue aulicis. Hic pacis tempo-
 ribus ludos, pompas, ferculorum
 apparatus, libenter in aula spectare.
 Carolum mox in Germaniam ar-
 ma mouentem secutus, militiæ quo-
 que tolerauit commoda vitæ simul
 & incommoda. Didicit tandem bel-
 li, pacisq̃ue artibus, animum ex-
 saturare, cum à Deo discefferis ni-
 hil posse. Igitur de pio, meliori que
 vitæ genere animo agitare. Summa
 illi tum necessitudo erat cum Pe-
 tro Soto, insigni familiæ Domini-
 canæ Theologo: qui & ipse Cæsa-
 ri à sacris confessionibus auctori-
 tate plurimum pollebat. Hic re-
 ligionis maiorum, pessum in Ger-
 mania euntis, pubisq̃ue Germanica
 vicem dolens, à Carolo in Belgio
 commorante missionem impetra-
 uit: vnaque cum Olauio, eo consilio
 in Germania substitit, quo nutantes
 & magnæ spei iuuenes in Catholica
 maiorum fide erudiendo confirma-
 rent

rent, & hæreticorum fraudibus, vt murum pro domo Dei, sese vitamque obijcerent. Commodum iam Otho Thurchesius Cardinalis, & Augustanæ reipub. Episcopus, magnum illic ijs temporibus Ecclesiæ præfidium in eandem curam cogitationemque ingressus, Dilingæ (oppidum id Augustanæ diocesis est) Gymnasium alendis pie adolescentibus ingenuis, inchoarat. Huic Petrum Sotum, & Martinum Olaium Theologos, præficit, aluitque liberaliter. Re tandem, alijs ex alijs orientibus incommodis, turbata, Sotus in Hispaniam reuertit: in occidentis Indiam Olaius cogitat, vt gentes illas Barbaras, quando in Germania, vt optabat, non successerat, Deo lucrifaceret. Bibliothecam optimorum librorum refertam eo consilio Hispalim, vbi conscenderet, præmisit. Interea loci Iulius III. Pontifex Maxim. Concilium Tridenti, vt supra demonstrauius, instaurandum curat: euocatus, missusque eodem ab Augustano Cardinali Olaius,

uius, eo libentius in viam se dedit, quo plures in amplissimo illo ingeniorum theatro conuenturos homines doctissimos audierat. Quos inter docti, atque disertissimi, & in disputando vehementissimi, famam est consecutus. Fixa nihilominus alta mente profectio Indica hæsit. Inaudierat enim socios Lusitanos apud orientis Indos magnum in dies laboris fructum Evangelica prædicatione tanquam manipulos referre. Exemplo itaque quasi calcaribus incitatus somnum vix capiebat. Quare Ioannem Polancum, Romæ tum à secretis Ignatio, qui cum actissima olim Lutetiæ familiaritas intercesserat, per literas rogat, uti pro veteri necessitudine consilio iuaret, omnemque procurandæ Indorum salutis rationem perscriberet: quando sociorum hac vna in re vestigijs insistere cuperet. Respondit ille, quod res erat, longum id fore: litteris id genus omnia mandari commode nec posse nec debere. Bonum itaque factum si Romam Tridento, cum abesset propius, aliquan-

do

do excurreret, vt eadem opera, comodo quod fieret suo, principum Apostolorum limina viferet, Martyrumque sancta in vrbe impressa vestigia lustraret. Turbatus non nihil responso Olaius, escam captari se à Polanco ratus, vt vel inuitum ei societati, quam pridem fugisset, ascriberet, vnū LAYNEM, præterea neminem oculis ferre libenterque audire solitus. Verum, vt fit, multa tum inciderunt, quæ mentem excruciant, & ab Indico itinere deterrent: subiit enim animum cogitatio præstabilius ne ad animi salutem foret, sodalitati sese piorum hominum qui vni præfuli obtemperarent, sponte aggregare, an in tam longam se viam incipitemque casum dare. Septem Tridento passuum millibus Benacus lacus abest, (Gardæ finitimi appellant): cuius in vmbilico Benedictini sodales habent, amoeno sane in loco, & ad precandum meditandumque peridoneo; huc Olaius, vt maioribus verni temporis ieiunijs, à studijs

1552.

studijs, negotijsque mente abducta
 Deo melius, & precationi, poeniten-
 tiaque operam daret, secesserat, an-
 no, opinor illius seculi 1552. Hic an-
 cipiti diu cogitatione distractus
 huc tandem euasit, vt missam In-
 diarum profectioem faceret, va-
 lidioribusque mandaret, solitariam
 ipse vitam, Deo vocante complecte-
 retur. Alius rursus nodus incidit,
 quam nam potissimum de multis
 religiosorum hominum familijs,
 suo aliorumque emolumento de-
 ligeret. Paratum se ad quoduis vi-
 tae institutum tandem comperit, vna
 semper societate excepta: à qua tum
 vsque eo abhorreret, vt cum Deum
 venerans saepenumero precaretur,
 optimam vitae viam ostenderet, so-
 cios animi ductu exciperet. Igi-
 tur luctatus diu multumque nec
 sibi faciens satis, DE I tandem vo-
 luntati cessit, qui leges sibi præ-
 scribi vetans, liberum hominis
 animum postulat. Sacro anni fe-
 sto, quo Christi ab inferis exi-
 stentis memoria publice colitur,
 rem

rem diuinam Olaius faciens, panem illum coelestem manibus tenens & adorans, enixe Deum obtestari, vt anxiam illā curā tādē aliquando eriperet, salubria suggereret. *Domine, inquit, quid me vis facere? doce me facere voluntatem tuam, quia Deus meus es tu. Emitte lucem tuam, & veritatem tuam. Tua non mea voluntas fiat: paratum enim cor meum Deus: tantum dic verbo, & in nomine tuo laxaborete.* Hic iam mutatam sibi mētem sensit, audireque intus visus est vocem: Hic sis, volo: cum socijs vna viuas, moriarisque iubeo. Te enim mihi, non me tibi dignum est obsequi. Durum tibi cōtra stimulum calces iacere. Paruit Olaius Deo, sic exclamans: *Domine ego seruus tuus, & filius ancillae tuae; Votis iam se obstringere Eucharistiae arae aduolutus: vnā societate sibi expetendam, quam salutis viam ostenderet, qui via est, veritas & vita. Mutatus Olaius, vt nō agnosceres eundem esse: iam tum enim, oculis antea captum, videre se aiebat: iam amare*

quos fugisset socios : gratias itaque Deo meritas agere. Tridentum mox reuersus, ad LAYNIS sese & Salmeronij familiaritatem promptius retulit: interruptisq̄ue iterum Concilij cōuentibus, Romæ ab Ignatio humaniter acceptus, pijs exercitationibus, domesticisq̄ue officijs diu multumq̄ue tiro probatus, societatis Romæ Collegio quatuor ipsos annos præfuit. Post anno 1556. octauo decimo post Ignatium die, quem kalend. sextilibus humeris extulerat, iustis ritè persolutis, morte eundem est secutus: breui quidem curriculo, sed piè innocenterq̄ue decurso. Memoria teneo, cum primum Romæ sacras lustraret diuorum reliquias, templaq̄; obiret, auditâ ex illo vocem, domum reuerso: *O piam sociorum familiam, me miserum, qui eam nimis diu ignorâs, fugi, sepe etiam de eadem detraxi.*

Iacobi Ledesma vita & obitus.

CAP. IX.

Ope.

O Perepretium fuerit meminisse
 & Jacobi Ledesme viri ea tem-
 pestate prope singularis: cum quia a-
 misso Olauio, tanquam in vacua ve-
 nit: tum quod à LAYNE qui Ignatij
 vita recens functi vices gereret, so-
 ciorum albo adscriptus est. Denique
 quod multa hinc iuuentus hauriet
 virtutis exempla. Hispanus & hic
 origine Cuellara in oppido, honestis
 parentibus natus. Compluti adole-
 scens in litteras incubuit, mox Lute-
 tiæ Parisiorum præstâtissimis docto-
 ribus operam dedit. Eos verò breui
 processus in humana, diuinaque phi-
 losophia, omniq; adeò doctrinæ ge-
 nere, fecit; citius vt excellere conti-
 gerit, quam animo æquo ferre æqua-
 les possent. Hinc Louanium Grudio-
 rum celebrem optimis semper disci-
 plinis Academiam, profectus, socijs
 vti cœpit per familiariter: Mores vs-
 que eo probare, vitæque institutum,
 vti quo minus ijs sese tum adiūgeret
 duo prætere soleret: cum quia
 multa in Philosophia, & Theologia
 scribendo cōmentatus esset, quæ ex-
 cludere,

cludere, forasq; dare pararet; veritus, vt id satis commode apud socios posset: tum quod pusillo nimis angustoque animo, continentem se perpetuo viuere posse diffideret. Illinc tamen rapiebat cœlestis vitæ desiderium. His curis vtramque in partem diu multumque, Herculis Prodicij in morem, distractus, huc tandem euasit, vt pudore inepto valere iusso, sacerdotem nostrum interrogarit, maiorem ne animi trāquillitatem, à Philosophis, & à pijs hominibus commendatam, in societate, quam foris, vbi turbarum plena sunt omnia consequeretur. Ad hæc socius prudenter: Vni id Deo opt. max. cognitum, qui futura iuxta ac præsentia, renes item cordaque intueretur. Mortalibus vtique incertos euentus, ignotisque esse. Si forte quid opinaretur, quæque experiretur, ipse & alij percunctando quæreret, sperare, fore, vt Dei beneficio summa animi pace, bonoque inter socios degeret. Ad hæc nihil ille cunctatus: *En adsum, me socijs adscribite. Deliberare amplius iubet*

bet sacerdos. Postridie enim diei constantiam attulit: narrat Romam versus eo se consilio profecturum. Colonia in Vbijs Agrippina iter habens, socios regere ibi cōperit Leonardum Kesselium singulari virum innocentia, morumque integritate: ad socios enim diuenterat Ledesma. Deum hic obnixè precatus, constantiam, continentiamque ad eam, quam meditaretur vitæ viam largiretur, occurrit illi casu Leonardus, nihil eorum, quæ animo versaret, cōsciis, & sponte appellans: *Næ pater constantiam Deus dabit.* Hoc tanquam Dei oraculo, in sententia confirmatus ille est. Augustam Vindelicorū post delato, precantiq̄ue eadem, Christus in conspectum se dedit; & quo flagraret castitatis simul & constantiæ donum benigne pollicetur. Quod vt omnes celauit, sic vni, cui ritè confitebatur, sacerdoti aperuisse se narravit: à quo formam coloremque, quibus apparuisset Christus, interrogatus, sese quod extra se ecstasi positus esset, præ gaudio, animiq̄ue voluptate, obseruasse

nasse illa negabat. Alio item tempore eadem Deum roganti, sibi visam liquido affirmabat, conceptis etiam verbis iurare paratus, homo minime vanus, Reginam Angelorum; Maria Magdalena, duabusque Catharinis, Martyre & Senensi stipatam; Promississe item continentiae, constantiaeque virtutes, se animam agenti praestofore, quaeque polliceretur vera comperitum. Continentiae enim dono non indignum, qui tanto eam studio flagitaret. Comites quoque virgines alternis occinebant:

*Diuinares est castitas:
Maiores sed sunt premia
Qua continenti dat Deus.*

His imaginibus visisque vehementer animatus Ledesma, pie continenterque ad extremum usque Spiritum, Deo bene iuuante vixit. Romam tandem Urbium reginam ingressus, Praepositi generalis vices, amisso nuper Ignatio gerere LAYNES accepit, ineunte anno 1557. Ceterum iter faciens, comitem nactus Petrum Ribade-

1557.

bade-

badeneyram, dicere eidem solebat
 identidem : *Vtinam in Augustini, &
 Hieronymi tempora, felicia illa, ac do-
 cta incidissem : quorū vsu doctior, Deiq;
 amātor euasissem.* Post cognita LAY-
 N I S eruditione ac sanctitate, ei-
 dem voti se iam compotem factum
 latus narrabat. Igitur Romæ beni-
 gne acceptus, specimen, vt socij tiro-
 nes solent, studiorum dare iussus,
 octo ipsis diebus variarum scientia-
 rum scholas, totidem horis coram
 doctissimis societatis viris, in his &
 L A Y N E, explicauit, in Grammati-
 cis, Rhetoricis, Dialecticis, Physicis,
 Ethicis, Mathematicis, & Theologi-
 cis : cunctis qui aderant, ingenium,
 copiam, promptamq; memoriam mi-
 rantibus. Post Theologiam Ledesma
 Romæ, fideiq; controuersias, com-
 plures annos de superiore loco docuit,
 studiorumq; Præfectus ea constan-
 tia fuit, nihil vt præter communem
 sententiam quod esset, tueri quem-
 quam in Thesis pateretur. Vrgen-
 tibus sæpe collegis, qui & ipsi do-
 ctoris personam sustinerent, aliud
 ex alio

ex alio effici incommodum longa se-
decim conclusionum serie ostende-
bat. LAYNES itaque acerrimi vir,
& ingenij, & iudicij, cum ceteros lau-
daret Romæ doctores, hunc cū paucis
cōponebat eidē certe anteponebat ne-
minē. Ab externis quoq; qui illum li-
benter quotidie deliberando cōsule-
rēt, magno in precio est habitus. An.
1575. tādē sæculari sancto 1575. cum ex o-
mnibus orbis terrarū prouincijs ma-
gna hominum vis Romam, peccato-
rum venia obtinenda, conflueret, in
illud sociorum collegium ob singu-
larem eruditionem migrare iussus,
quod vulgo S. Petri poenitentiarium
dicunt, vbi cōscientiæ nodos poeni-
tentibus expediunt, adeo lucubran-
do vigilauit valetudinis incōmodo,
vt ceteris satisfaceret omnibus, ipse
nato in capite vlcere, mortem ad 14.
kalend. Decemb. obierit vnde uigesi-
mo in societate anno transactō, sum-
ma pietate: non raro visis diuinis re-
creatus. Obseruatum quatuor potis-
simum animi ornamentis excelluisse
Ledesnam. Prima virtus animi de-
missio

missio summa fuit, quamquam singulari doctrina præditus esset, & scientia inflare homines soleat. Superiores cum appellaret, aperto semper capite, animoque prompto, quod imperatum esset, dicto audiens accipiebat. Deinde tam excellenti rerum disciplinarumque cognitioni adiuncta pietas fuit, ut imaginibus, & agni cælestis effigie, granisque piacularibus mirifice caperetur: tum verò potissimum libellorum asceticorum, qui simplici stylo scripti essent, lectione delectabatur: candidis itemque minimè fucatis ingenijs amicissimè utebatur. Post, rigidus in opinionum sententijs cum esset, nullum ut paradoxum æquo animo pateretur: ea tamen patientia fuit, ut fessis reliquis libenter ipse audiret, perduraretque, nullumque sibi verbum acerbius excidere pateretur. Denique se regularum societatis observantissimum præbuit. Si quid ad eos qui socijs præessent, commode publico referret, siquid aliter illis videretur, minimè contendere aut moleste ferre con-

re con-

re consueuerat: plurimum illis merito deferens, aut superiorum auctoritatem defendens. Turbis itaque perpetuo abstinens, & ad pacem omnes concordiamq; reuocans, eodem semper vultu animique habitudine spectabatur. Sed vnde digressi sumus, reuertamur.

Socijs Italiae prouincia praeficitur

L A Y N E S.

C A P. X.

Prolatis ob bellorum ciuiliu tumultus Concilij Tridentini rebus, atque cōuentibus, L A Y N E M Ignatius à negotijs liberū Italiae prouinciae praefecit, secundo & quinquagesimo eius seculi anno, tergiuersantem primum illum, ac detrectantem: tandem tamen cessit imperio. Hortari omnes ad pietatem sedulo socios, non verbo magis, quam exemplo. Collegia obire, atque lustrare: instaurare etiam, si necesse esset, & augere, vt in Perusino, & Genuensi factum accepimus. Respicere in Ignatij exemplum, regulamque, quam vitae instituit

1652

stituto tenerent, accurratè seruari iubet. Iam verò concionibus totam ferè Italiam obeundo, societatis estimationem mirificè auxit. De varijs item fidei controuersijs, viteque officijs frequenter consultus, conscientia nodos expediuit. Genuæ Ligurū, pacta, cōuenta, & mercatorum fenora sic dijudicare solitus, vt ius, & æquum vbique, quoad eius salua religione fieri poterat, quesijisse, animosque laqueis irretitos egregiè liberafse sit creditus. His ferè curis anno sequenti, quarto item, & quinquagesimo occupatus à Iulio III. vna cum Hieronymo Natali comes datus Iohanni Morono Cardinali, Augustam Vindelicorum misso (vbi Cæsar procerum Germaniæ conuentum agebat) vt de rebus arduis, religioneque maiorum commodo publico agerent. Sequēs mox annus Iulio fatalis: Martio enim mense vita decedens vacuam sedem Pontificiam Marcello S. crucis Cardinali reliquit. Moronus rebus gestis Romā aduolauit: LAYNES Florentiæ, cōciōnādi gratia, & prouin-

1553

1554

1555

prouinciæ sociorum administrandæ
 substitit. Marcellus II. nomen reti-
 nens optime se in societatem anima-
 tum, quippe qui Tridenti LAYNEM
 nouerat Concilij legatus cum esset,
 statim re ipsa declarauit. Ignatio e-
 nim pedes de more exosculante, sum-
 mamque in terris dignitatem gratu-
 lante, binos ab eo societatis Theolo-
 gos postulauit, quorum consilio rem
 Ecclesiæ publicam, difficilimistem-
 porib⁹ administraret. Incidere enim
 sæpenumero magno dignos vindice
 nodos: addito hoc etiam modestiæ
 singularis, & beneuolentiæ elogio:
Nisi si utiliores alibi socij illi futuri esset.
 LAYNEM itaque Ignatius destinat,
 cui arcana ille antea vitæ, priuatus
 cum ageret, credidisset omnia. Ola-
 uium item, qui Eugubium illius Epi-
 scopatum vna lustrasset, parta ea do-
 ctrinæ opinione, vt Magistrum fre-
 quenter appellare sit solitus Marcel-
 lus. Verum vt res sunt hominum, non
 proprium atq; perpetuū id Ecclesiæ,
 societatiq; gaudium fuit. Vigesimo
 enim die extinctus Pontifex, magnū
 omnibus

omnibus sui desiderium, luctumque reliquit: vt ante diem ereptum, terrisq; tantum ostensum, optimus quisque iudicarit.

Cardinalis honorem fugit LAYNES.

CAP. XI.

Perbreuem Marcelli Pōtificatum excepit Ioannes Paulus Caraffa, Archiepiscopus Neapolitanus, & senatus Cardinalium Princeps (Decanum vulgo nominant) qui inauguratus, Paulus IV. mutato de more nomine appellari cōepit. Hic Theatinus Episcopus cum esset, abdicatis titulis, probos aliquot viros collegat, familiamq; inchoarat eorum qui hodieq; Theatini inde nuncupantur. LAYNES & huic gratus acceptusq; fuit. Quamobrem Cardinaliū exemplo collegio inuitū adscribere Pontifex animum induxerat. Cum Ignatiū tristem Ribadeneyræ dixisse accepimus. *Ni Deus prohibeat, breui LAYNES noster purpureo galero donabitur. Id si, quod nolim, accidet, talem se ille præbebit, vt non quasisse societas*

D honores,

honores, sed fugisse potius videatur.
 Angi quoque hac re vehementer vi-
 sus L A Y N E S quod fallere, ac la-
 tere mallet, obscurusque societatis
 inopiam titulis omnibus antepone-
 ret. Igitur Deum, qui hanc illi men-
 tem dedisset, assidue precari, omen
 auerteret: Cardinales quoque fa-
 miliares appellare, & obtestari, ex-
 istimationis suae, societatisque ratio-
 nem pro vetere necessitudine, duce-
 rent. Ex animi sententia loqui, nihil
 se perinde atque honoris titulos de-
 precari. Persuasum itaque illud ha-
 beret, vtiliorem se Ecclesiae Dei ope-
 ram priuatū, quam in illustri dignita-
 tis loco nauare posse. Pontifex ni-
 hil cunctandum ratus; ne res mora,
 vt fit, corrumpetur, L A Y N E M
 ad se migrare extemplo iubet, quod
 opera illius in constituenda re cum
 priuata, tum publica, vti vellet. Pa-
 ruit is; at postridie eius diei ad so-
 cios quasi de re dubia deliberatu-
 rus, reuertit, mansitque. Nullus e-
 nim candidatus maiore vnquam studio
 magistratus honoresque prensando
 ambi

ambiuit, quam LAYNES fugit.
 Etenim qui coelestia conſectantur,
 acutius vident, longeque ſecius, at-
 que ambitioſi homines iudicant. Hi
 enim honoris ſtudio inani, ac per-
 breui; illi verò gloriæ contemptu
 felicitatem metiuntur: vt bene eum
 vixiſſe ſapientes olim homines iudi-
 carint, qui, viuens iuxta ac moriens,
 latuit. Teſtatus itaque ſua manu ſo-
 cietati LAYNES eſt, ſanctèque
 prolatis tabulis confirmauit, hanc
 ſibi mentem ſocietatis auctorem Ie-
 ſum dediſſe, vti nihil in vita acci-
 dere poſſe acerbius putaret, quam
 vt honores, quos fugiſſet, capere co-
 geretur. Igitur rogare precibus af-
 ſiduis in partem iuuarent, eoque ar-
 dentiſſe, quo maiori emolumèto fu-
 turum ſocietati crederent, æquali o-
 mnes iure, procul ambitione atq; in-
 uidia, ſorte contentos ſua, perpetuo
 viuere. Euicit tandem LAYNIS
 ſtadium, conſtantia ac deprecatione:
 poſt, tanquam maximo naufragio ſal-
 uis enataſſet, Deo gratias obnixè
 agere,

agere, priuatam vitam laudare, ac libenter amplecti: hoc denique ceteris Dei in se beneficijs adnumerare acceptumq; conferre consuevit.

Ignatio vitafuncto LAYNES Præpositus generalis creatur.

CAP. XII.

DUM hæc Romæ geruntur, Ignatius, pridie kal. Sextilis anni 1556. ex hac vita in beatiorum sedes migravit: LAYNE interim graui morbo ad medicorum desperationem laborante, quem, licet ægrum munus Ignatij obire, à morbo recreatum Patres iubent. Huius ille consilij ignarus, vbi se confirmata valetudine collegit, prouinciam detrectauit. Vicit tamen Patrum consensus, Deoque id placere pronunciantibus, suscepit inuitus. Euocatis mox ex omnibus Europæ prouincijs electis patribus, qui collectis suffragijs Præpositum Ignatio nuper amissio sufficerent, ad statum diem Romæ præsto essent, conuentumque ageret iube

1556.

iubet. Aduolant alacres, ut iussi erant, demptis Hispaniæ socijs: qui prouincijs, ut optabant, non egressi quod bellum tum Paulus I V. cum Hispaniarum rege Philippo gereret: metuerentque belli itinerumque pericula: silent enim inter arma leges. LAYNES itaque primum societatis conuentum qui posteris exemplar esset futurus, mutilum & perpaucorum sociorum esse non passus, deliberandum censet utrum e re societatis esset, conuentum ampliando dimittere, & pacis tempus otiumque expectare, an alium locum captare, quo Hispani conuenire tuto possent. Tandem in eam sententiam itum est, prolatandum videri. Igitur domum retro, Patribus re infecta redeuntibus, calumnia bonis semper infesta, disseminare in vulgus rumorem coepit, socios omnes, partium studio ductos Roma, ubi primum nata, & alta societas esset, digredi, & alio comigrare. Pupugit nonnihil Potificem rumor, qui LAYNEM amaret. Restamen promptius credita, quod Hispanos

Romæ plurimostum in societate agere accepisset. Nomina itaque sociorum, qui Romæ essent singillatim perscribi iubet, neue quis se inscio discederet, vetat. Deum hic LAYNES precibus fatigandum, placandumque Pötificem, censet. Socijs imperat, vt in aduersis rebus solet, Litanias diuorum ea gratia quotidie recitent: vt B. Dominicum olim fecisse meminisset, cum aduersariorum improbitate apud Innocentium IV. in crimen adductus esset. Vertit tãdem Dei benignitate in tranquillitatem tēpestas, remque, vt gesta erat, LAYNIS oratione Pontifex libenter accepit, sociosque complexus est perhumaniter. Tranquillatis mox rebus, paceque reipubl. reddita, positis

1558. vtrinque armis anno 1558. denuo conuētus sociorum Præposito deligēdo, Romã indictus. Actum hic de optima eligendi Præpositi ratione diligēter, quã in posterũ seruari vellēt. Formula Pötificis max. auctoritate, quatuor ad hæc Cardinaliũ iudicio cõprobata est & p̄mulgata. Nihil domi eorũ,

quæ

quæ ad placandum Deum, & inuocandum pertinerent, qua precibus & vigilijs, qua ieiunijs flagellisq; à socijs prætermisum. Postridie kalen. Quintilis, qui dies visitatione Virginis festus est, Petrus Paciecus Cardinalis Hispanus, societatis conuentum ingressus, Patres Pontificis verbis securo animo esse iubet, quemq; idoneum maxime iudicarent administrandæ societati, nihil verètes eligerent, commodo non solum suo, verum etiam Ecclesiæ Dei. Visum item eidem Pontifici, iustis de causis utilius societati fore, perpetuum illud præpositi Generalis, nõ annum, terminisq; circumscriptum munus esse. Pontificem non solû parentis, vt oēs pij solèt, sed & parëtis singularis loco ducerent, ob magna eius sodalitatibus in Ecclesiã merita, & in tuenda religiõe maiorũ officia. Post in eo ipso conclaui, quo Ignatius spiritũ emisit, Patres Deũ venerantes precantur, vt parem illi sufficiant. Hinc suffragia in vnũ LAYNEM collata, tãta itaq; lætitia, prouinciarumq; consensione

D 4 eligi-

eligitur, vt lacrymas præ gaudio socij non tenuerint: quia & hilariorem sibi nullum illuxisse diem, qui aderant affirmabant. Quod vbi in vulgus manauit expectantibus euentum amicis, ea acclamatio est subsequuta, sibi gaudentium, socijsque gratulantium; vt facile quanti L A Y N E M facerent omnes testarentur. Vnus ipse moestus apparuit, onus impostum, qua erat prudentia, animo praesentens ac reformidans: recti tamen conscientia nixus, quod eum honorem minimè ambiisset, quin potius omni ope defugisset. Dei itaque benignitate fretus, prouinciam tandem difficilem illam quidem, sed publice profuturam suscepit, mox Nonis Quinctilibus, socij conuentu habito, gregatim ad Pontificis pedes more maiorum osculandos, benedictionem, vt impetrarent ingressi, benigneque accepti. Assedit Paulus, Patresque in orbem genibus aduolutos, latine & diserte hac fere oratione, quam ex fide bona representamus alloquitur.

Summa

Summa animi voluptate, dilecti filij,
 Deo, à quo omne donum perfectum ma-
 nat gratias agimus, quod in vestro Præ-
 positi generalis delectu præsens adesse
 voluerit, conuentumq³, vt constat, legi-
 timum, ratum habuerit: ea enim in tan-
 ta nationum varietate consensio, amo-
 risq³ mutui ardor existit: vt non nisi
 à diuino spiritu, qui ritè congregatis ad-
 esse solet, profecta esse videantur. Pla-
 num enim factum est omnibus, societa-
 tem vestram non arenæ inædificatam,
 sed firmæ petreæ, & angulari lapidi Chri-
 sto Iesu inniti. Et verò permagni in-
 tererat primum hunc ab Ignatij Loyo-
 la morte conuentum, delectumq³ socio-
 rum benefeliciterq³ euenire, vt norma
 posteris, & regula esset, & tanquam
 fax præluceret, in quam & alij, Præpo-
 sitis morte amissis, socij respectarent.
 Hæc nos sperare Deus iubet, qui hunc
 societati spiritum indidit, consensumq³
 animorum summum attribuit. Auge-
 bit item in immensum cœtum vestrum,
 dabitque & perficere, qui dedit & velle

D 5 ad no-

ad nominis sui gloriam, vtilitatemque
communem.

Hinc ad LAYNEM Præpositum
generalem Pontifex conuersus: Su-
per te verò, inquit, dilecte fili, fors ceci-
dit, vt societatis familiam duceres: qua
à paruis primum ducta principijs, vt &
Ecclesia Dei, magnopere creuit: non so-
lum tantis laboribus non deficias, sed il-
lustrior, maiorque in dies existens. Se-
des hæc Pontificia, & fouit adhuc so-
cios, & fouebit deinceps amantius, non
ignara, quanto id Ecclesie Catholica
commodo fiat, cui vos vitamq;, & la-
bores omnes consecrastis: nullum capi-
tis periculum refugientes, dum Dei cat-
sa salua sit, atque religio. Spes itaque
bona nos tenet fore, vt posthac opera di-
ligentiaq;, vestra, corrupti mores, ad
pristinam disciplinam reuocentur, cre-
scatq; in dies magis magisque Dei cultus.
Quare non otio, sed labori indulgendum,
non delicijs, sed cruci ferenda, danda
est opera. Non est enim, vt Christus ait,
seruus maior domino suo, si me persecuti
sunt,

sunt, & vos persequentur. Hunc vobis ad imitandum proponite, currentes ad propositum certamen, aspicientes in auctorem fidei, & consummatorem IESVM; qui, vt Paulus ait, proposito sibi gaudio, sustinuit crucem, confusione contempta. Proponite & Apostolorum principem Petrum, qui vt Christum vnice amauit, sic & Crucis infame supplicium libenter sustinuit: & inuerso capite deorsum, ne magistro equaretur, mori voluit. Proponite denique veteris, nouiq; testamenti sanctos viros, quorum vna omnium vox fuit: propter te mortificamur tota die, & facti sumus velut oves occisionis. Quem Prophetarum non sunt persecuti Patres vestri, obiecit Stephanus Iudaeis. Christus quoque: & vos implete mensuram Patrum vestrorum. Videtis dilecti filij, Ecclesia Catholica laborantis statum, ab ijs vndique hostibus circumuentis, qui Christi sponsam extinctam maxime vellent. si bellum duntaxat indixissent Gentes, Iudaei, Barbari, & noui orbis incolae à Christiana fide

mglic
ficum
: Su-
s ceci-
: qua
vt &
non so-
sed il-
s. Se-
ouc so-
us, non
tholica
& la-
n capi-
ei cati-
itaque
era di-
es, ad
r, cre-
cultus
endum,
danda
tus ait,
ersecuti
sunt,



DE VITA

alieni, ferendum forsitan esset, inscitia-
 que tribuendum: sed eos, proh dolor,
 infestissimos hostes nacti sumus, qui ex
 nobis exierunt, & Christi se nomine ia-
 ctant, lauacro etiam Baptismatis tincti.
 Quia cum ita sint; vigilare vos, ut fortes
 milites, & in statione excubare decet.
 Erit enim tempus, quantum prouideo,
 cum & nomen vestrum, improbis inui-
 sum, & sanam doctrinam aduersarij
 non sustinebunt: sed pergite, ut cœpistis,
 ad brauium eterne gloriae currentes, ut
 aliquando comprehendatis. Non vos
 labor, periculaq; deterreant, non debi-
 litent minæ, non mortis metus frangat:
 sed ipsi vos holocausta offerte Deo in o-
 dorem suauitatis.

Ad electionem quod attinet, ratam
 eam habemus, & fortunare Deum, qua
 agitis, precor. De me verò: omnia
 indulgenter vobis largior, quæ possum, &
 benedico illis etiam socijs, qui toto ter-
 rarum orbe, Euangelica prædicatione oc-
 cupati, peregrinantur. Vos bonis omnib;
 augeat parens ille vniuersi Deus, ac apo-
 stolorum

stolorum princeps, cuius in sortem, locumq; vocati sumus. Et tametsi negotijs publicis variè nunc impediti sumus, si quid tamen postulabitis, quando Ecclesia Dei commodo vester omnis labor impenditur, vobis ô socij noctu, atq; interdum fores patere volo. Deum Opt. Max. precor, numerum simul, & pietatè augeat, & Ecclesia, quæ agitis, bene euenire, ad omniumq; utilitatem pertinere, velit: crucis signum opera vestra Gentibus ad orientem solè, & occidentem peruenire: nomenq; Iesu, & Euangelium prædicari.

Hac Pontifex diserta oratione habita affurrexit, dimisitq; socios, crucis signo bene precatus, quæ promiserat re ipsa præstitit per benignes viaticis enim, & alimentis, discentes iuuit, cæteros fouit.

DE